

illud dicit non esse talem istam gratiam cui resisti non possit, idem dicit quod Tridentinum Concilium, et verissime dicit, quia gratia Dei quantumcumque efficax, non tollit posse sibi resisti, et dissentiri, et deficere, imo quia maxime supponit in nobis talem infirmitatem et potentiam deficiendi, ideo infallibili suo ductu nos confirmat, non ut non possimus deficere, sed ne de facto deficiamus, dicente Augustino libro de correptione et gratia, c. XII: « Si ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei sine quo perseverare non possent (idem est, in auxilio sufficienti) manerent si vellet, nec Deus in eis operaretur ut vellet; inter tot, et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet. Subventum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divinam gratiam indeclinabiliter, et inseparabiliter ageretur, et ideo quamvis infirma non deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. » Igitur efficacia infallibilis gratiæ ideo datur a Deo, ut succurratur infirmitati humanæ, qua potest deficere, et dissentiri, et ita non tollitur ipsum posse dissentiri, sed ducitur infallibiliter ne dissentiat, ut patet in illis verbis: Et ideo quamvis infirma non deficeret, idem enim est esse infirmam, ac posse resistere seu dissentiri: ex infirmitate enim nascitur illud posse: ergo idem est dicere quamvis infirma, ac dicere, quamvis possit resistere; et sic sicut auxilium actuale non aufert habitualement infirmitatem, ita non aufert ipsum posse resistere, quod utique infirmitatis est. Solum ergo facit difficultatem in hoc Concilio Senonensi illa probatio seu consequentia quam facit ad probandum quod possumus resistere auxilio, quia de facto resisterunt aliqui. Quæ consequentia omnino videtur deficiens, quia intentio est probare quod au-

xilio efficaci potest resisti, et probatio sumitur ex resistantia de facto, quæ utique non potest salvari respectu auxilii efficaci, sed solum respectu sufficientis: nam efficaci ut efficaci in nulla sententia resistitur de facto, sive hoc oriatur ex ipsa intrinseca natura divinæ voluntatis, sive ex suppositione nostri consensus prævisi; quomodo-cumque sit, efficaci auxilio nunquam resistitur, nisi resistamus Scripturæ dicenti: *Non est qui possit tuæ resistere voluntati*, et Augustino libro de correptione et gratia, c. XIV: « Deo volenti salvum facere nullum humanum resistit arbitrium. » Quare si Concilium Senonense voluit dicere quod Judæi resisterunt de facto auxilio efficaci, in hoc audiendum non est; et omnino rejicienda ejus probatio, neque in hoc ei favet Concilium Tridentinum, in quo talis probatio, et consequentia non habetur; bene enim stat quod in conclusione verum dixerit, et in probatione allata defecerit, cum non sit Concilium approbatum per Sedem Apostolicam. Dicere autem quod voluit Concilium declarare, quod resisterunt illi de facto auxilio, quod entitative erat efficax, sed non denominative, certe hoc est reducere dogmaticum iudicium ad disputationem mere speculativam, et metaphysicam: sic enim solum restiterunt illi in quantum sufficientis, non ut efficax formaliter: ergo neque intendere debebat Concilium probare quod efficaci auxilio possumus resistere formaliter loquendo, sed solum sufficienti, et sic nihil probabat contra hæreticos.

X. Quare si illa probatio Concilii aliquam vim habet, dicendum est quod revera probationem sumit non ex resistantia facta auxilio efficaci (hoc enim stare non potest) sed facta auxilio sufficienti. Et vis illius reducitur ad hoc: De facto resis-

terunt Judæi Spiritui sancto eos moventi per auxilium sufficientis, ergo in se habet homo potentiam resistendi auxilio sufficienti, sed hanc potentiam non lædit auxilium efficax, licet occulte tangat voluntatem, et ducat ad effectum de facto: ergo cum auxilio efficaci manet potentia ad resistendum. Minorem dixerat Concilium prioribus verbis, ibi: « Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, etc. »

XI. Ad Concilium Tridentinum dicimus utramque solutionem datam esse legitimam. Et primam de sensu composito, et diviso aliqui existimant esse inventam recentior ad eludendum illud testimonium Concilii. Mirum quod hoc theologi dicant, nisi qui theologiam in libris claudunt, non evolvunt. Habetur illa expresse in Magistro sententiarum in 1, dist. xxxviii, circa finem, ubi solvit illud argumentum, quod illud quod Deus præscit, non potest aliter evenire: ergo necessario evenit, aut potest divina scientia falli. Solvit hoc Magister dicens, quod: « *Ista possunt intelligi conjunctim vel divisim, et conjunctim necesse est ita esse, sicut Deus præscivit, non divisim.* » Inde ad nobilissimos quosque theologos dimanavit. Eam approbat D. Thomas ibi, super eadem distinctione, q. 1, art. v ad III: Scotus dist. xxxix. §. Quantum ad quartum, ubi eam expresse ponit. Et sequuntur theologi utriusque scholæ sine difficultate: et D. Thomas abundantius eam docet in quæstione vi de veritate, art. III ad VIII: « *Dicitur, inquit, communiter quod hæc: Deus potest non prædestinatum prædestinare, vel prædestinatum non prædestinare, in sensu composito est falsa, in diviso est vera.* Et ideo omnes locutiones illæ quæ sensum compositum impli-

cant, sunt falsæ simpliciter. » Ubi cum testificetur D. Thomas sic communiter dici, non est dubitandum distinctionem hanc esse communiter jam ab illis temporibus acceptatam. Cæterum auctores oppositi eatenus illam admittunt, quatenus sensus compositus formari potest ex suppositione ipsius actus: supposito enim quod aliquis velit, non stat non velle; non autem admittunt formari posse ex aliqua suppositione antecedente ad actum, quia si ex tali suppositione necessario sequitur actus, putant destrui libertatem. Et existimant sensum divinum, et compositum esse explicandum eo modo, quo in argumento dicitur, nempe quod, ablato auxilio, potest oppositum facere, et hunc dicunt esse sensum divisum, et quod posito auxilio non stat oppositum facere, et hunc dicunt sensum compositum. In utroque falluntur: nam sensus compositus, et divisus etiam fit ex suppositione aliqua antecedenti, et non solum ex suppositione ipsius actus: nam scientia Dei et prædestinatio Dei est aliquid antecedens actum, et tamen ex suppositione ipsius fit sensus compositus, et divisus; nam ex suppositione quod Deus scit me ambulaturum, est necesse quod ambulem in sensu composito, et est contingens, et liberum in sensu diviso, ut docet Magister sententiarum ubi supra, et omnes ejus expositores. Ex suppositione prædestinationis est necessarium, et infallibile in sensu composito, quod prædestinatus non damnetur, et in sensu diviso potest damnari, ut S. Thomas dicit loco citato de veritate. Et quoad præsentem materiam de operatione nostra libera, id clare docet 1-2, q. x, art. IV ad III: « *Dicendum, inquit, quod si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni quod voluntas ad illud non*



moveatur, non tamen est impossibile simpliciter; unde non sequitur quod voluntas de necessitate moveatur. » Et 2-2, q. xxiv, art. xi, docet quod considerando motionem charitatis ex parte Spiritus sancti, moventis animam, infallibiliter operatur: « Et sic impossibile est hæc duo esse vera, quod Spiritus sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, et quod ipse charitatem amittat peccando. » Ergo in sensu composito admittit S. Thomas necessitatem, seu impossibilitatem, in conjungendo illa duo, licet Spiritus sanctus movens sit principium antecedens actum, licet certum sit quod actus ille in se sit liber, etiam postquam habet in se motionem Spiritus sancti, quia ad hoc ipse movet, ut fiat actus liber.

XII. Unde sumitur explicatio legitima sensus compositi, et divisi ex ipsa doctrina S. Thomæ, non ut putant adversarii quod sensus compositus sit, posito auxilio, et sensus divinus, sublato, contra quem sensum liberantur omnes illæ ponderationes, et exempla. Sed D. Thomas sumit sensum divisum, etiam stante auxilio, et voluntate, et prædestinatione Dei, ita quod adhuc illo posito sequitur in sensu diviso actum esse liberum, quia ex hoc concordat D. Thomas efficaciam voluntatis divinæ, et prædestinationis ejus infallibilis cum nostra libertate, et contingentia, quia Deus voluntate sua infallibili non solum vult quod ego faciam, sed etiam quod faciam libere, et super totum hoc quod est facere, cadit infallibile decretum, ut patet in hac quæstione xix, art. viii et in iii contra gentil. c. xciv et q. xxiii de verit. art. v et in i, dist. xlvi, quæ loca sæpissime a nobis citata sunt, et verba adducta, ideoque nunc non adducimus. Ergo sentit S. Thomas quod etiam stante

voluntatis infallibilis decreto, et consequenter ejus influxu, sequitur libertas; sed libertas sequitur in sensu diviso: ergo sensus divinus non debet accipi semoto influxu, seu voluntate Dei infallibili, sed ea posita, nec sensus compositus in hoc solum quod ponatur auxilium, et eo stante: nam etiam eo posito sequitur libertas, quia causat illam.

XIII. Quare sensus compositus, et divinus sic explicandus est, quod stante auxilio, et voluntate efficaci Dei, habet duplicem considerationem. Primo, ex parte rei causatæ in nobis. Secundo, ex parte ipsius causantis, et modi causandi ejus. Ex parte rei causatæ præcise id quod in nobis causat illa voluntas efficax est aperire cor, et duritiam ejus tollere, hoc est determinare, et inclinare ad tale objectum conservando potentiam ad oppositum, in quo stat modus libertatis, seu tollere indeterminationem suspensivam, quod est determinare, et resolvere ut talem actum faciat, et conservare indifferentiam potestatis et domini quod habet ad utrumque actum ad facere, et non facere: sicut enim Deus concurrente cum causis necessariis determinat illas ad agendum, et ad tali modo agendum, quia etiam ipse modus cadit sub causalitate et providentia Dei, ita causat modum libertatis et contingentiae, quia hic modus cadit sub providentia Dei. Et hoc totum pertinet ad rem causatam, determinatio actus, et modus ejus. Ex parte Dei causantis, et modi quo Deus causat est summa infallibilitas, quia causat modo immutabili ex parte sui, etiam quando causat mutationem, et mutabilitatem ipsam in creatura. Unde opponi solet modus causandi Creatoris modo causato in creatura, quia ille causat ut actus purus, ista causatur ut ens potentiale ille; immutabili modo, ista ut res immutabilis; ille modo infi-

nito, ista ut res limitata et finita. Unde modus immutabilitatis, et consequenter infallibilitatis in illo non tollit, nec diminuit modum mutabilitatis in ista.

XIV. Hic ergo facile intelligitur sensus compositus et divinus. Si consideremus voluntatem efficacem Dei ejusque influxum ut præcise causat effectum determinationis cum modo libertatis, et contingentiae causato in nobis, facimus sensum divisum etiam stante ipso auxilio, quia consideramus ipsum effectum Dei in nobis præcise, et divise a modo quo Deus causat illum. Si vero non solum consideremus effectum causatum, sed etiam modum ex parte Dei se tenentem, quo iste effectus procedit a Deo, qui est modus infallibilitatis, et ipsum conjungimus cum re causata, sic facimus sensum compositum, et sub hoc respectu sequitur infallibilitas, et non est resistentia ex parte creaturæ ad Deum, quia ille modo immutabili operatur quidquid operatur. Quis autem potest resistere modo immutabili, ut stat sub isto respectu? Cæterum quia unumquodque judicatur simpliciter et absolute, juxta ea quæ sibi propria sunt, et ad suam lineam pertinent, non juxta ea quæ supra se sunt, et ex parte Dei se tenent, quia modus Dei licet ex se sit immutabilis, non tollit, sed servat, et causat modum creaturarum, ideo cum effectus Dei sit causare actum, seu determinationem ad actum simul cum libertate, et contingentia sua, et consequenter cum potentia ad rejiciendum, ad resistendum, ad dissentendum; ideo simpliciter judicandum est juxta sensum divisum. Et ideo optime dicit Concilium quod etiam recipiens illustrationem Dei efficacem potest illam rejicere, et dissentiri, quia hoc ipsum posse causat seu conservat influxus efficax Dei, qui utrumque intendit, et quod faciat hoc determi-

natum, et quod libero modo faciat, seu cum potentia non faciendi. At vero considerando totum hoc ut subest modo immutabili, et infallibili Dei, quo pacto fit sensus compositus, non stat poni influxum illum, ut descendit ab isto modo infallibili Dei, et frustrari ab effectu suo: *Quia voluntati ejus quis resistit*, cui auctoritati Scripturæ quomodo potest contradicere Concilium?

XV. Tota hæc explicatio potest videri in D. Thoma iii contra gentiles, c. xciv, circa finem et c. xcvi. Nam primo loco dicit sic: « Hoc quod ponitur esse a Deo ut sit futurum, si sit de genere contingentium, poterit non esse secundum se considerata, sic enim provisum est ut sit contingens potens non esse. Non tamen est possibile quod ordo providentia deficiat, quin contingenter eveniat, et sic tertia ratio solvitur. Unde potest poni quod iste non sit regnaturus, si secundum se consideretur, non autem si consideretur ut provisum. » Posteriori loco sic ait: « Ordinem universalem secundum quem omnia ex divina providentia ordinantur, possumus considerare dupliciter, scilicet quantum ad res quæ subduntur ordini, et quantum ad ordinis rationem, quæ ex principio ordinis dependet. Ostensum est autem in secundo, quod res ipsæ quæ a Deo sub ordine ponuntur, proveniunt ab ipso, non ut ab agente de necessitate naturæ, sed ex simplici voluntate: relinquitur ergo quod præterea quæ sub ordine divinæ providentiæ cadunt Deus aliqua facere potest. Si autem consideremus prædictum ordinem quantum ad rationem a principio suo dependentem, sic præter ordinem illum Deus facere non potest, » quod ibi probat ex universalitate scientiæ, et voluntatis divinæ, et ex ejus immutabilitate. Et subdit, quod: « Hanc distinctionem quidam non conside-



rantes in varios errores inciderunt.» Si ergo Deus non potest facere præter modum et ordinem ut a se procedentem, multo minus poterit creata voluntas facere, et sic, ut subest illi ordini, et in sensu composito, quatenus stat sub illo, infallibiliter operatur, nec potest illi resistere, quamvis ex parte rei effectæ, et causatæ a Deo possit resistere, et dissentiri, quia totum hoc Deus vult, scilicet quod iste fecit hoc determinatum, et quod libere faciat.

Quare ad exempla, et instantias quæ contra sensum divisum, et compositum afferuntur, non est necesse respondere, cum procedant in alio disparari sensu, in quo nos de illo non loquimur.

XVI. Circa secundam solutionem assignatam, nos dicimus verum esse quod Concilium loquitur de auxilio efficaci, et non solum de sufficienti, licet ubi est efficax auxilium, necessario supponatur sufficiens, quia ubi est actus, supponitur potentia et virtus. Cæterum hoc auxilium efficax, de quo loquitur Concilium, est auxilium præveniens: de eo enim incipit in illo capite agere, dicens quod exordium justificationis sumitur ab auxilio præveniente. In hoc autem præveniente auxilio includit Concilium gratiam excitantem, et adjuvantem, quod nolunt admittere oppositi auctores, qui pro gratia præveniente solum admittunt excitantem, et id quod ex parte intellectus se tenet illuminando et proponendo objectum, non quod ultra hoc aliquid antecedenter, et præveniendo influit in voluntatem, quod pertinet ad gratiam adjuvantem quia ipsemet consensus et determinatio voluntatis derivatur et causatur a Deo, et sic non expectatur; cum tamen ex ipso contextu clarissime constet utrumque ponere Concilium ex parte prævenientis gratiæ, ut supra ponderavimus, præsertim in illis ver-

bis, c. v: « Ut per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando disponantur. » Si per adjuvantem disponuntur, non solum ad cooperandum, sed etiam ad libere assentiendum: præcedit ergo liberum assensum adjuvans gratia, quatenus distinguitur ab excitante, seu illuminante per intellectum, sicut dispositio id ad quod disponit, et sic non expectat consensus, sed causat ut voluntarie fiat influendo modum voluntarium. Et eodem modo loquitur Concilium in canone iv, cum dicit: « Liberum arbitrium motum, et excitatum, id est, excitatum, et adjutum posse dissentiri si velit, » potentia utique antecedenti, et in sensu diviso, non consequenti, et in sensu composito, seu componente actum cum auxilio, licet stante auxilio adhuc potentia maneat pro statu antecedenti potens et capax ad habendum actum oppositum, non tamen ad conjungendum efficaciam auxilii de facto, et secundum omnia quæ includit, id est, secundum quod etiam procedit a Deo cum elicientia de facto oppositi actus.

XVII. Nec obstant contra hanc responsionem replicæ quæ fiunt in argumento. Respondemus enim Concilium validissime allisisse totam Calvinistarum hæresim, quia Calvinus posuit efficacem gratiam ita necessitare voluntatem et impellere in quantum efficax est, quod movet hominem, et non excitat. Unde negavit excitantem gratiam cum excitatione indifferenti, solumque posuit hominem a Deo impelli sicut equum a sessore, a quo non excitatur, et suadet equus, sed calcaribus agitur; ideoque solum agnovit rationem spontanei, non liberi in nobis, sustulitque distinctionem materialis et formalis in peccato, quia formale

illud morale est, et omnia dixit æque esse a Deo tam bona quam mala: sublata enim ratione liberi, cessat omnis ratio peccati, et malitiæ, de quo late supra egimus disp. iii, articulo ultimo et præcedenti tomo, disp. xx, articulo ultimo. Concilium ergo ad extirpandam hanc hæresim a sua radice, definivit dari in nobis excitantem gratiam prævenientem, sine qua efficax non datur nec adjuvans, et hanc excitantem gratiam, seu illuminationem ita tangere cor hominis cum indifferentia, quod homo aliquid agat eam recipiens, et possit eam abjicere. Qua definitione posita, corrui tota hæresis Calviniana, quia non sic impellitur voluntas nostra, ut necessitetur, et non excitetur: si quidem datur excitans gratia tali indifferentia, quod potest abjici a nobis. Et ex consequenti, quia nulla efficax gratia, sive excitans, sive adjuvans, aut quocumque modo movens, potest operari, nisi supponendo tamquam fundamentum excitationem, et illuminationem intellectus, quia nihil volitum quin cognitum, ideo si homo potest abjicere gratiam excitantem, potest consequenter dissentiri gratiæ efficaci, quia sublato fundamento seu requisito, et præsupposito necessario ad illam quod est excitatio, et illuminatio intellectus, consequenter efficax auxilium non operabitur. Et sic qui potest abjicere excitantem gratiam, potest dissentiri cuicumque gratiæ efficaci. Sed tamen ipsa efficacia quia ab immutabili, et infallibili decreto Dei emanat, de facto facit quod iste non abjiciat excitantem gratiam, nec dissentiat adjuvanti. Et sic conferendo seu componendo id quod immutabilitatis et infallibilitatis est ex parte voluntatis divinæ cum actu nostræ voluntatis, non potest potentia consequenti, et in sensu composito oppositum facere, potest tamen simpliciter, et poten-

tia antecedenti seu in sensu diviso.

XVIII. Quare Concilium non definivit quod possumus resistere auxilio sufficienti tantum omisso efficaci, in quo faciunt vim Calvinistæ, sed etiam efficaci possumus dissentiri: sed tamen fundamentum Calviniana eruens, illudque dissolvens, qui negabat excitantem gratiam, quæ est fundamentum etiam efficaci, definivit dari in nobis excitantem gratiam, eamque abjicere nos posse. Qua definitione posita sequebatur necessario posse nos dissentiri gratiæ efficaci, quia hæc habet pro fundamento excitantem gratiam, et illuminationem intellectus, quam si possumus abjicere, possumus dissentiri efficaciæ gratiæ. Et ad instantiam contra hoc, respondetur quod Concilium dum definit posse nos abjicere excitantem gratiam, concedit tacite, quod possumus resistere adjuvanti, quia cum adjuvans necessario supponat excitantem, illa abjecta, hæc non operatur. Definiendo ergo quod possumus abjicere excitantem, consequens erat quod possumus dissentiri efficaci, quod et dixit canone quarto, sed illud posse est potentia antecedenti, et quantum est ex meritis objecti propositi, non potentia consequenti, et quantum est ex modo immutabilitatis, et infallibilitatis divinæ. Et ita manet expedita libertas ad utrumque ex parte potentiæ, nec ligatur facultas per determinationem Dei, sed aperitur cor, et solvitur suspensio seu indeterminatio. Et hoc aliquis effectus Dei est, non facultatis alligatio. Optime etiam Concilium noluit aliquid innovari circa decretum suum, quia doctrina ista de indifferentia excitationis, de potentia rejiciendi illam, et dissentendi si velit potentia antecedenti, et in sensu diviso, omni Dei auxilio, etiam specialissimo, communis est.